

AD ILLVSTRISS.  
ET OPTIMVM PRINCIPEM GE  
orgiū Marchionem Brandenburgensem &c.  
ne Antichristianorū multitudine & minis  
fatigetur, προσκέλεστις Martini Me  
glin, Ecclesiae Kitzingensis  
Parochi,

1529



ILLVSTRISSIMO ET CHRISTIA-  
niss. Principi ac domino, domino Georgio Mar-  
chioni Brandenburgensi &c. domino suo  
clementissimo,



Ratia, uictoria, & pax a deo patre, &  
Christo Iesu domino nostro, Amen. |  
Experitur, agnoscit, & confitetur, non si-  
ne adgratulatione Princeps illustriss. cū  
ampliss. hæc ditio seu prouincia, tū vni-  
uersa fere Germania, q̄ varijs & rariss (raris inquā, rara  
enim in terris & cœlo auis est, vt vulgo dici solet, pius  
princeps) dei donis celsitudo tua cœlitus donata sit &  
ornata: primum (vt taceā virtutes, quas in principibus  
etiam mundus commendare & euhere solet iusticiā, cle-  
mentiam, prudētiā, & fortitudinem) cognitione, amo-  
re & fide in Christum, ad hæc in ijsdem, contra omnem  
Satanæ & suorum temptationem, fortitudine & constan-  
tia. Tandem non vulgari zelo aduersus omnem hypo-  
crisim & impietatem. Non est itaq̄, cur ego, qui mentē  
Christi utrimq̄ habeo, in mare aquas & pleno sydera  
cœlo addam, id est, C. T. scientia salutis, pa raclesi ac pa-  
ce Christi instructiss. & plane, vt Esaias ait, οεοδιδακτοη, in  
præsenti temptatione, quantumlibet magna doceam ad-  
horter & confirmem, ne audiam, vulgo græcorum ccle-  
bre prouerbium, ὃς τὴν ἀθήνην, sus Mineruam, id est, me ve-  
hementer impudentem, qui indoctus & formidolo-  
sus, audea m C. tuam a deo non vulgariter doctā & con-  
firmatā, docere & consolari. Quia vero Satan, vt omni

bus retro seculis, ita & quidem maxime nūc fine & con-  
sumatione seculi appetente & nostri redemptione, quæ  
est Christi in gloria aduentus adproperante, agit, sata-  
git, & interim peragit, ut Christi fidem ac libertatem vel  
tragicis cōminationibus a pijs auferat vel iustos de ter-  
ra, vt est homicida ab initio, omnino sufferat & tollat.  
Quando, inquā, tam horrendum & homicidam suū co-  
natum non tantum in vulgo Christianorum, sed etiam  
in capitibus populi, id est, Christianis aliquot principi-  
bus (vt fere quisq̄ intolerabilior est Satanæ, quo est illu-  
strior, & magis pius) & sic in C. tua insigniter Christia-  
na tentat ac conatur, putauī non intempestiuū & incō-  
modum, aut saltem sine damno futurum, si C. tuam, sub  
cuius imperio per Christi gratiam tutus a mūdo & An-  
tichristianis minus tentor adhuc, in tanto discrimine cō-  
monefacerem, & si quid, pertot partim curas & nego-  
cia, partim tentatiōes excidisset, in memoriam redigerē,  
**QVID ET QVO POTISSIMVM** (in scriptu-  
ram scilicet, & piorū Regum, similiter tentatorū, exem-  
pla fidē & constantiā) **IN TANTIS SATANAE**  
**ET REGNI EIVS TERRORIB. SPECTAN-**  
**DVM SIT**, quoq̄ leuandi sint fidei oculi, nempe, exē-  
plo Dauidis, in montes, vnde venit auxilium omni viri  
liter agenti & expectanti, necq̄ vel tantillo tenus præua-  
lent inferorum portæ. Corrasī ergo, eo quo dixi consi-  
lio, ex media & sola scripture (in hac crim exhortatione  
vt Cyprianus ad Fortunatum de exhortatione marty-  
rj: recte & pie, inquit, amputandæ sunt omnes verborū  
nostrorum mōrē, & humanorum consiliorum amba-

A. ij



ges subtrahendæ, ponendoq; sola illa quæ deus ipse lo-  
quitur, & quibus seruos suos ad martyriū Christus ipse  
hortatur) aliquot locos & argumenta, non contra quas  
libet & vulgares tentationes, sed contra eam potissimum  
qua principibus ab Euangelio stantibus Antichristiani  
minantur Cæsar is iram, cæsareum, vt vocant Bannum,  
exilium, & regnis suis electionem, nisi a Christo ad An-  
tichristum, & a libertate Euangelij ad priorem humana-  
rum traditionum captiuitatem, a qua vix dum per gra-  
tiam Dei redasserti sumus, ~~κωστῶσι~~ ac deficiant. Aduer-  
sus hanc inquā impiorum Moabiticam, id est, vanam  
(superbia enim Moab, arrogantia & indignatio plus  
q; fortitudo eius) cōminationē, hanc ~~προσέλθοντες~~ exhor-  
tationem, & vt Cyprianus ibidem, classicū vnice ador-  
nauit, quod nunc C. tuæ Spiram (vbi huius generis mi-  
næ potissimum vulgantur & multiplici populū sermone  
replerunt) mitto, supliciter petens, vt eadem C. tua pu-  
tet hæc nō tam docendi gratia, q; obedientiā & affectū  
in se meū, non illiberalē & indignum testandi, scripta  
ac missa esse, vt, inquā, palam fiat, me C. tuæ cum vbiq;  
tum in studijs & orationibus meis fidelissime memorē  
esse. C. tuā, cui me post deū tuendū cōmitto, in Christo  
sæcliciter & diu valere opto & precabor. Datū Kitzin-  
giæ in TC.vrbe, Anno salutis nostræ M.D. XXIX.

T. C. Obsequentiis.

Martinus Meglin, Ecclesiæ  
Kitzingensis in Euangelio  
minister & parochus.

AD ILLVSTRISSIMVM ET OPTI-  
mum Principem Georgiū, Marchionē Branden-  
burgensem &c. ne Antichristianorū multi-  
tudine & minis fatigetur,

### PRAEFATI O.

 N omni quidem tentatiōe ab omnibus eadē  
diligentia, studio, anxietate & votis pax & li-  
bertas quæritur, ab alijs tamen aliter alibi, &  
non eadem fide & corde. Mundus ignorans  
deum, & quæ dei sunt, id est, credens omnia fortuito, &  
non certo dei consilio accidere. Ad hæc in vanitate car-  
nis, cuius infirmitatem ignorat confidens, carnem ponit  
brachium suum, & quolibet q; ad deū conuertitur. Vn-  
defit, vt si requiem, anxie quæsitam non inuenit, doleat,  
irascatur, indiget, blasphemet: & tandem, nisi remit-  
tat tentatio desperet. De hac infidelitate Esaias capite ix.  
Et populus non est reuersus ad percutientem se, & do-  
minus exercituum non inquisierunt. Christiani a deo  
docti, in tentatione longe variant a mundo. Agnoscunt  
enim & credunt, primum, q; a deo solo sint bona & ma-  
la, vita & mors, paupertas & honestas. Norunt solius  
dei opera esse: malum, id est, persecutionem & pacem, il-  
lius creaturas esse lucem & tenebras, id est copiā & ino-  
piam, diuitias & infelicitatem. Sic enim in libro Hiob,  
lux & tenebræ accipiuntur, Dein norunt omnem carnē  
& quicquid sub sole est, vanitatem vanitatum esse, id est  
in die malo & iræ nequaq; posseliberare. Tertio sciunt  
ex scriptura, quæ ad nostram consolationem scripta est

A ij Roma



Roma. xv. tentatis, si ad deum conuertantur vnicē, pacē id est, aut a malis liberationem, aut in medijs malis patiē tiam, consolationem, & constantiam, multis locis pro missam & exemplis non minus multis exhibitam ac exhibendam. Tentati ergo, non alio, q̄ ad deum ipsum, nō infidelitate & cæcitate carnis, sed scripture & fide du ce conuertūtur. Vbi si pacem inuenerint, vt falli nō pos sunt, deum pacis magna exultatione glorificant, iuxta il lūd Psalmi xlviij. In die tribulationis inuoca me, eruam te, & glorificabis me. Nos itaque propter nomen Iesu Christi, tot partim persequutionibus, partim minis, ipsa persequitione intolerabilioribus (præstat enim semel cadere, q̄ semper pendere) tentati, non alio q̄ ad Christum, propter quem periclitamur tota die, conuertamur consolandi, idq̄ nō alia, quam scripture, via & duce, & audiamus quantam pacem, deus per uerbum suum promittat & exhibeat adflictis, vt sic consolati, glorificemus deum liberatorem, & non timeamus quid faciat nobis confidens magis, q̄ potens caro, adeoq̄ & inferorum portæ, vt vt super nos dilatent animam suam, & os suū absq̄ vlo termino.

## CAP VT PRIM VM.

Cauſſa propter quā persecutionem patimur  
nō nostra est, sed Dei, qui suam cauſſam  
ipſe aget & tuebitur.

 PRIM VM, Meminisse debet C. tua, Euange lij cauſſam, quam vna cum omnibus pijs, im p̄j miris cōſilijs, studijs, artibus, largitionibus

& omnibus tandem malis modis, extinctam cupiunt, nō nostram tantum, sed dei imprimis esse, qui, vt & ze lotes, & gloria m suam alteri nō cōmunicat, suam hanc cauſſam nunquam deseret, nec in finem feret verbum suum ab impijs conculcari, quantumlibet nunc Antichristianorum blasphemias dissimulet, non sine consilio, tarditatem grauitate futuræ vltionis recompensandi, iuxta illud Hiob xxi. Ad diem perditionis seruatur malus, & ad diem furoris ducetur. Hic vero non tam fide quā sensu opus est, videmus enim verbum & gloriam dei decem his annis, per infirma & contempta va ſa, vt vt potentia mundi remitteretur, & Satan fureret, latissime propa gatam, & ita firmiter stabilitam, vt non sit metuēda aliqua ruina & casus. Quin experti sumus, quo magis oppressa est impio Pharaonis consilio Euā gelij cauſſa, eo creuit multiplicata, & firmata est magis,

## SECVND VM CAP VT.

Maior est Deus, cuius cauſſa & pugna hæc est, ad protegendum, quam Satan & An tichristus ad impugnandum.

 ECVNDO, Cogitādum aduersarios nō tam contra nos, qui infirmi & hostibus multitudine ac viribus inferiores fortasse sumus, quā deū & Christum eius pugnare & insanire, Actorum nono, Saule Saule, quid me persequeris? Iam qui nobiscum & pro nobis est, maior est toto mundo, &, vt semel dicam, omnipotens est: ignis præterea consumens. Contra hostium vires & princeps, brachium est carneū, ba-



culus arundineus & dens putridus ipsissimus scilicet Sa-  
tan, a Christo nostro iam olim iudicatus, vinctus, ejectus  
foras triumphatus, expoliatus & destructus oīo. Quā  
vero fōeliciter ipsi, tam infirmis & ignauis, cessurū sit  
ετομαχēp, non sine suo magno & æterno malo (qua-  
do fideliter in omnibus credere & conuerti non pos-  
sunt) experientur. Et nisi iusta dei ira excæcati essent, sen-  
sisse iam pridem debebant, suum iudicium, vt Petrus ait  
Non dormitare, & intolerabilem dei vltionem, non ita  
diu abfuturam, quando uident et dolent, nō tantum ho-  
mines, eosq; ante amicissimos, fidelissimos, & iuratissi-  
mos: sed etiam vniuersas creaturas cœlum & terram cō-  
tra se, vtrice dei ira, irritori, & plusq; dimidium suæ au-  
thoritatis amissum, & supra lutum platearum cōtemni,  
neq; quicquā superesse, nisi quicquid tyrannide & me-  
tu (malus autem diuturnitatis custos metus est, inquit,  
verissime & pluribus exemplis comprobat Cicero) ad-  
huc retinēt. Sed quid opus est verbis, venit super eos  
ira dei in finē, vt videntes non videant, conuertantur, &  
sanentur. Hic autem multum supra modum proderit,  
in exempla piorum Regum retrospicere, & illorum si-  
militer tentatorum fidem, verba, orationes, facta, & tan-  
dem victoriam intueri, dum se & populum cōsolantur  
non multitudine & robore exercitus, non fortitudine  
equitatus, non curribus & cætero bellico apparatu, sed  
quod res & pugna non sua tantum sit, sed DEI potissi-  
mum, cui perinde facile est in paucis & multo vincere,  
imo qui vno angelo centum octoginta quinq; milia Af-  
syrorum interfecit, Esaiae xxxvij, & iij Regum vnde  
uigesimo

uigesimo, Talis erat Gedeon Iudicum vi & vij, Talis Io-  
ab ij Regū x. Talis Dauid cum alibi, tum Psalmis xix.  
xx. & xxxij. Non saluabitur, inquiens, Rex in multitu-  
dine exercitus, & Gigas non liberabitur in multitudine  
virtutis suæ. Fallax equus ad salutem, nec in abundantia  
virtutis suæ saluabitur. Ecce oculi domini super metuen-  
tes eum, & in eis qui sperant super misericordiā eius: Ut  
eruat a morte animas eorum, & alat eos in fame. Anima  
nostra expectauit dominū: quoniā adiutor & scutū no-  
strū est. Quia in eo lætabitur cor nostrum, & in nomi-  
ne sancto eius sperauimus &c. Talis erat Aſa ij. Paralip-  
omenon xiiii. Domine, inquiens, nō est apud te vlla di-  
stantia, vtrum in paucis auxilieris, aut in pluribus: adiu-  
ua nos domine deus noster. In te enim, sicut infirmi ba-  
culo, nūtimur, uel sustentamur, & in tuo nomine haben-  
tes fiduciam, contra hanc multitudinē (quæ erat decies  
centena milia Aethiopum) venimus. Dominus deus tu-  
es, ne præualeat contra te homo. Huc pertinet pœna in  
fidelitatis eius, quæ legitur cap. xvi. Cum in Rege Syriæ  
& non in domino deo, in quo paulo ante multo plures  
vicerat, coepisset confidere. Huius vero sensus & fidei,  
spectatissimū exēplar, quodq; ad nostri temporis Tra-  
goedias oīm aptissime cōgruit, est rex Iosaphat ij. Para-  
lip. xx. qui a filijs Moab & Ammon magna multitudi-  
ne impetus, totum se contulit ad rogandum dominū  
his verbis:

Domine deus patrum nostrorū, nonne tu es deus in  
coelo, & dominaris cunctis regnis gētium, in manu tua  
est fortitudo & potentia, nec quisquā tibi potest resistere

B



re? Nōne tu deus noster interfecisti omnes habitatores terrae huius coram populo tuo Israhel? & dedisti eam sc̄mini Abrahā amici tui in sempiternum: habitaueruntq; in ea, & ædificauerūt tibi in illa sanctuarium nomini tuo dicentes: Si venerit super nos malum, gladius, iudicium pestilentia, & fames: stabimus corā domo hac, & in con spectu tuo, & clamabimus ad te in tribulationibus nostris, & exaudies, saluosc̄ facies. Nunc igitur ecce filij Ammon & Moab, & mons Seir, per quos non concessisti Israhel, vt transirent per eos, quando egrediebantur de terra Aegypti, sed declinauerūt ab eis, & nō exterminauerunt illos. Et ecce ipsi retribuentes nobis, ueniunt ad eiſciendum nos de hæreditate tua, quam hæreditario dedisti nobis: Deus noster non iudicabis aduersum eos quando in nobis non est tanta fortitudo aduersus multitudinem hanc magnā venientem contra nos. Non sci mus aut̄ quid faciendū sit, nisi quod oculi nostri ad te.

Ex Regis huius exemplo agnosce Princeps optime, quod deus suos non tantum non in periculo, sed ne in metu quidem diu derelinquit. Vix dum enim precibus Iosaphat finitis, fit spiritus domini, paracletus scilicet seu consolator, super Israhel, filium Zachariæ, qui Israhel & Regem ita consolatur. Nolite timere, neq; frangamini a facie multitudinis huius magnæ. NON EST ENIM VESTRA PVGNA, SED DEI. Cras descendetis contra eos. Ascensiū enim sunt per cliuum nomine Zis, & inuenietis illos circa Caricetum fluminis, qui est contra solitudinem Ieruhel. Non eritis vos, qui dimicabitis, sed tantum firmi estote: state, & videbitis auxilium

domini super vos. O Iuda & Hierusalem, nolite timere nec pauca īis, cras egrediemini contra eos, & dominus erit vobiscum. Ad hanc prophetæ consolationem Rex adeo non timet amplius, vt exclamet magna voce: Credite in domino deo vestro, & securi eritis, credite prophetis eius, & cuncta euēnient prospera. Pergat C. tua ibidem videre, q; ampla victoria, quantisc̄ spoliorum diuitijs potiatur aduersum suos hostes Rex, in domino sperans, qui pauloante, sensu carnis, uictus & res gno eiectus videbatur.

Non dissimiliter Propheta seu homo dei ad Amaziā (de Israhel, quem oderat dominus, centum milia robustorum, centum talentis contra Edom cōducentem) quod si putas, inquit, in robore exercitus bella consistere, superrari te faciet deus ab hostibus: DEI QVIPPE EST ET ADIVVARE, ET IN FVGAM CONVERTERE.

Nouissime, pietas & in persecutione fiducia Ezechig Regis non est prætereunda silentio, Is a Sennacherib & infinita Assyriorum multitudine inuasus & obfessus, a nimum adeo non despontet, vt suos his verbis confortetur. Viriliter, inquiens, agite & confortamini, nolite timere, nec pauatis Regē Assyriorum, & vniuersam multitudinem, quæ est cum eo. MVLTO ENIM PLURES NOBISCVM SVNT, QVAM CVM ILLO. CVM ILLO ENIM EST BRACHIVM CARNIS, NOBISCVM DOMINVS DEVS NOSTER AD AVXILIANDVM NOBIS, ET PVGNANDVM PVGNAM

B. n



**NOSTRAM.** Hactenus ex veteri testamento multa & tantum non plura iusto exempla sanctorum, in deum in persecutione confidentium recensuimus, Ni si autem nimium esset, & non tam consolari, quam fastidio enecare videremur, non minus plures ex nouo testamento, quanquam non Regum historias huius sententiae peteremus. Sed satis sit vnum adhuc Pauli, Satanæ, mudi, pseudoprophetarum, & doctrinarum, Tandem omnium temptationum in Christo victoris exemplum & locum, qui est ad Romanos octauo: produxisse. Ille unus pro multis erit, & non minus efficaciter, quam omnia veteris scripturæ exempla cōsolabitur. Si deus pro nobis, quis cōtra nos? Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: qui fieri potest, vt non cū eodem omnia nobis donet? Quis intentabit crimina aduersus electos dei? Deus est qui iustificat. Quis ille, qui condemnet? Christus est, qui mortuus est, imo qui & suscitatus est, qui etiam est ad dexteram dei, qui & intercedit pro nobis. Quis nos separabit a dilectione dei? nū afflictio? num angustia? num persecutio? num fames? num nuditas? num periculum? num gladius? Quemadmodū scriptum est: Propter te morti tradimur tota die, habiti sumus velut oves destinatæ mactationi. Verum in his omnibus superamus, per eum qui dilexit nos. Nā mihi persuasum habeo, quod nec mors, nec vita, nec angeli, nec principatus, nec potestates, nec instantia nec futura, nec altitudo, nec profunditas, neque vlla creatura alia poterit nos separare a dilectione dei, que est in Christo Iesu domino nostro.

Non ociose & frustra, pīetissime princeps, tot tamque multa exempla recensui. Habita est primum ratio magnitudinis periculorum, deinde infirmitatis CARNIS, cui etiam plurima, pauca sunt. Tandem efficacissima est non tantum, vt Fabius inquit, docendi, sed etiam persuadendi ratio per exempla & historias, quæ sensui carnis similime & cognatae sunt, Res scilicet gestæ & sensibus obiectæ. Habentes itaque tantam, vt Paulus ait, nubem testium, & videntes tot reges, partim etiam non per oīa bonos, toties & in caussis minus que nostra est, pijs etentatione ereptos, eorum exemplis (quæ ad nostram doctrinam & consolationem scripta sunt) in domino constanter speremus, nō timentes, quid faciat nobis homo, id est, vmbra, puluis, & bulla, vt ut sibi magnus & arrogans videatur. Historiam autem Iosaphat multis verbis, & tantum nō ex integro huc transcribere volui, quod ad præsentes turbas & terrores aptissime faciat, consoletur & erigat. Nec est dubium, quin C. tua (si in eadem saepe meditetur, & vice speculi indies vtatur) plurimū fiduciæ sit conceptura, & minas impiorum cum domino, qui in coelis est, irrisura. Quid, quod pulcherrima est indesinēter orandi, ad dominum contra præsentem persequitionem forma? vt infra cap. xi. monebo.

### CAP VT TERTIV M.

In bonum electis, etiam exilium & mors cooperantur.



On parum cōsolabitur & eriget, si cogitemus, sine omni nostro periculo, imo non sine ma-

B ij



gno nostro cōmodo, vt ut res ceciderit, siue vincamur,  
siue vincamus, omnia euentura. Si enim vicerimus (vt  
vinci nō potest, qui pro nobis est, quantumuis infirmi  
& pauci nos simus) optime res habet. Si vero, quod ab  
sit, vincamur, nihil peius habebit nostra caussa, neq̄ da-  
mni quicquam timendum. Christianis etiam mors, ma-  
xime pro Christo palam obita, lucrum est, & ad cœlum  
aditus, Philip. i. & Psal. cxvij. Bonum mihi quia humili-  
asti me. Item Matthæi v. Beati qui persecutionem patiū-  
tur propter iusticiam, quoniam ipsorum est regnū cœ-  
lorum. Beati estis cum maledixerint vobis homines, &  
persecuti vos fuerint, & dixerint omne malū aduersum  
vos mentientes, propter me. Gaudete & exultate, quo-  
niam merces vestra copiosa est in cælis. Tacco pacem  
conscientiæ, securam mentem, iuge cōuiuum, quæ nos  
victos, exules, patria & regno exutos, nouissime quam  
libet grauiter afflictos perpetuo & fideliter, vere fidus  
Achates comitabitur. Sola hæc speciosissima erit victo-  
ria, patria, regnum, & quid non? Hostibus omnia con-  
tra accident: si enim vicerint, Cadmea illis, id est, tristissi-  
ma erit, & magno damno cōstatura victoria. In media  
pace, nō erit pax impijs, sed infoelix conscientia, cor no-  
ste & die etiam ad sonitum folij volantis timens, & cæ-  
tera mala, quæ ipsis deus noster minatur Deuterono-  
mij xxvij. Si vero vincantur, non tam periere, quam  
sepulti sunt. Summa erit ipsis omnino iuxta verbum,  
seu dilemma, quod vulgo dealea ludentibus celebre est  
Si perdidierint, regnum cœlorum perdidere. Si lucren-  
tur inferorum poenas lucrati sunt. Non autem mo-

ueat deñciatue, quod regnū Antichristi parturientibus  
id est, afflictis nunc, & tristiciam habentibus passim in-  
fultat, illudit, & vt Christus ait, Gaudet, ἐγκώμιον sed ni-  
mium mane: &, vt eleganter Græci dicunt, τῷ πολυτελεῖ  
canēs. Punctus est gaudium hoc: &, ictus oculi, imo vt  
Prouerb. ij. stultorum exultatio ignominia. Erit autem  
tempus, & quidem breui, quando nos viso domino ad  
iudicium, vt nos redimat, & sanguinem sanctorum suo  
rum vindicet, reuerso solidum gaudium, & nunq̄ aufe-  
rendum, gauisuri sumus, in magna fiducia stantes aduer-  
sus eos, qui nos nunc adfligunt. Ipsi cōtra agnoscentes  
& videntes nos, quos nunc persequuntur, in honore, pa-  
ce, & inter filios dei esse, turbabuntur timore horribili,  
& in gemitu spiritus inenarrabili plangent, dicentes:  
Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in si-  
militudinem improperij. Nos insensati, vitam illorum  
æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore.  
Ecce quomodo computati sunt inter filios dei, & inter  
sanctos sors illorum est. Ergo errauimus a via verita-  
tis & iusticiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligen-  
tiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniuitatis  
& perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam aut  
domini ignorauimus. Quid contulit nobis: transierūt  
omnia illa, tanquā vmbra, aut nuncius prætercurrens.

## QVARTVM CAPVT.

A Cæsare in hac caussa, nihil est  
metuendum.



**T**N hac cauſſa nihil minus, quam iactura & amisſio regnum per Cæſarem a pijs principibus, vt vane minantur, auferendoru, metuenda est. primum enim bona ſpes eſt, & multæ coniecturæ, Cæſarem longe iuſtiorem & magis pium, quam vt ad calūnias & mendacia impiorum in pios & innocentes, nec auditos, nec conuictos ſæuiat.

Secundo, Esto, quod abſit, vt erga Euangeliū, & credentes peius etiam quā dicitur, adfectus ſit, Ad hæc pīe admonitionis omnino impatiens. Iam cor regis in manu domini eſt, & quoquā voluerit, inclinabit ac mutabit illud, dubio procul in ſuā & pietatis cauſſam pro hac mutatione ſedulo & affidue, vt Paulus iubet, orabimus. Sic idem Paulus aduersum Christianos ſpirās minorū & cedis, Actorū nono, repente mutatur, & ex lupo raptore, fit ouis occisionis. Sic Laban ſocer, & Esau frater Iacob dilecti, irati & mala cogitantes in cordibus suis, ſubito reconciliantur, & propitiū fiunt, Deo ita curante, & omīo malū auertente, Gene xxxi. xxxii. xxxiii.

Tertio rurſum demus prorsus induratum eſſe, & inſenſum reprobum datum, adeo, vt non ſit ſpes vlla: Deus autē meliora, eius immutandi & reuocandi. Hoc vero adeo non erit noſtro & Euangeliū periculo, vt vtriusque magno cōmodo & gloria, ipsius vero magno damnō, & ignominia futurum ſit. Sic pharao induratus, filijs Israel non nocuit, ſed profuit, quanto enim magis opprimebat, tanto crescebat & multiplicabantur magis, Exodi primo: ſuum vero ipsius interitum adceleravit. Tantum insuper abeft, vt gloriam dei ſua tyrannide

obſcurarit, vt tum maxime illuſtrauerit & ampliauerit. Dicit enim scriptura, Exodi & Rhomanorū nono, Pharaoni: Idcirco posui, ſiue vt Paulus vertit, excitaui te, vt ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra. Sic irridet, reprobat, infatuat, & inſtultum finem adducit confilia principum, qui habitat in cœlo DEVS: contra quem nō eſt ſapientia, non eſt prudentia non eſt cōſilium. Proverb. xxii.

Quarto, Non Cæſaris, ſed domini eſt terra & omīs plenitudo eius. Solus deus dominus eſt omniū regnum terræ, & cui IPSE voluerit, dabit ea. A solo eo eſt omnis potestas, Roma. xij. Solus ipſe, nō Cæſar (in cuius manu ne capillus quidem eſt capitis nostri) trāfert exurgere & interire facit regna Danielis ij. & iiiij. Vnde in Cantico beatæ Virginis de DEO, non de Cæſare dicitur: DEPOSVIT POTENTES DE SE DE, ET EXALTAVIT HVMILES. Summa ut multa vera ſunt, vulgo celebria Proverbia, & ſpiritu sancto authore nata, aut e media ſcriptura petita, ita hoc in præſenti cauſſa longe veriſimū eſt, Quod DEVS ad fert, Petrus nō aufert. vt ergo regna retineant pijs principes, non Homo, ſed Deus metuendus eſt, iuxta verbū Christi Matthæi ſexto: primum quærите regnū dei, & iuſticiam eius, & hæc omnia adjicientur vobis. Queim alatissimus iuſſerit eſſe Regem aut Principem, eum de ſede regni, ne vniuersi quidem mundi reges, vt ut irati & male propitiū, deponent, contra quem deus voluerit ſuper populu ſuū regnare, eū in regno vniuersa mundi regna quantumuis fauentia, non retinebunt.

C



## QVINTVM CAPVT.

Crux & persequitio non hostiū, sed bonæ dei  
voluntatis opus est, & nostrū lucrum.

 Ed singamus p̄ijs per impios ablatū iri regna,  
& si quid potest esse longe charius. Hæc vero  
est non impiorum libido, ira & victoria, sed bo-  
na Dei solius volūtas, opus & gloria, pro qua oramus.  
Fiat voluntas tua &c. Dein, non hostium, sed nostrum  
ingens est cōmodum, lucrū, & diuitiæ. Didicimus enim  
non ex Comico, quanquā illius verbis vtamur, sed Chri-  
sto, qui vñus est magister, pecuniam in loco, id est, pro-  
pter Christum negligere, maximū esse lucrum, nostras  
diuitias, purgationem & exaltationem nostri, de qua re  
supra capite iij. & infra vij. Licet autem sensui carnis vi-  
deatur, hanc nostri humiliationem & persequutionem  
inimicorum esse opus & infaniam, non tamen magis il-  
lorum est, quam Christi crucifixio, Satanæ, Pilati, & Iu-  
daorū. De Satana, Ioan. xiiij. Christus: Venit Princeps  
huius mundi, & in me non habet quicquam: Sed vt co-  
gnoscat mundus, quia diligo patrem: & sicut mandatū  
dedit mihi pater, sic facio, id est, quod patior, non est Sa-  
tanæ, sed Patris, quem diligo consilium manus & opus  
Actorum quarto. De Pilato Ioannis xix. Non haberet  
potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset de-  
super. Tandem Eliae lij. Vox patris est hæc: Propter  
scelus populi mei EGO percussi eum.

## SEXTVM CAPVT.

Etiam in hoc seculo p̄ijs, propter Christum  
amissa restituuntur non sine fœnore.



Tiamsi auferatur patria & regnum, non tamen  
desperandum est, sed cogitandum potius, ma-  
num domini necedum abbreviatam, sed habere,  
vnde reddere quod amisimus, aut multo plura, quam  
vnquam habuimus, etiam in hoc seculo dare possit, vt  
Lucē xvij. & Marci decimo: Amen dico vobis, nullus  
est, qui reliquit domum, aut fratres, aut sorores, aut pa-  
trem, aut matrem, aut vxorē, aut liberos, aut agros mea-  
caussa & Euangelij, quin recipiet centupla, nunc in tem-  
pori hoc, domos & fratres & sorores, & matres & libe-  
ros, & agros cum persequitionibus, ac in seculo uentu-  
ro vitam æternam. Sic omnia quæcunq; fuerant Hiob  
addidit dominus duplicitia, & benedixit nouissimis ma-  
gis q̄ principio eius: & facta sunt ei quatuordecim mi-  
lia ouium, & sex milia camelorum, & mille iuga boum,  
& mille asinæ, & fuerunt ei septem filij, & tres filiae. Vi-  
xit autem Hiob post flagella hæc centum quadraginta  
annis, & vidit filios suos, & filios filiorum suorum usq;  
ad quartam generationem, mortuusq; est senex & ple-  
nus dierum.

Sic Dauid a filio regno eiectus, breui post maxima  
gloria a deo reductus est, & filius parricida, paulo ante  
victor turpisime vicit & occisus. In hac ergo tentatio-  
ne Dauidis exemplo, fide & verbis, fides nostra confir-  
mada erit. Verba eius exulis flentis, & nudis pedibus  
opertoq; capite fugientis sunt hæc ibidem ad Sadoch sa-  
cerdotem arcam dei auferētem, Reporta arcam dei in vr

C ij



bem, Si inuenero gratiam in oculis domini reducet me,  
& ostendet mihi eam: si autem dixerit mihi, non places,  
præsto sum, faciat quod bonum est coram se.

## SEPTIMVM CAPVT.

Spe futuræ mercedis & retributionis, quæ est  
vita æterna, OMNIA huius mūdi, pro  
Christo & verbo eius vltro  
amittenda,

**S**ed esto ita, ejiciatur e regno C. tua vt nulla su= persit spes (quanquam nulla fere sint huius ge= neris per totam scripturam exempla, pios scili= cet reges perpetuo exulasse, eo nimirum consilio, vt ni= hil huius timeat C. tua & cæteri p̄j principes) eius nun= quam recipiendi. Quid vero tum: nihilo infœlicior, imo terq; quaterq; beata erit, saltem in futuro seculo, iuxta verbum fidelis Christi, Matthæi xix. Omnis qui relique rit domum vel fratres aut sorores aut patrem aut ma= trem aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam posside= bit. Iam si promittente Christo, qui fallere nescit, cent u= plum, & vitam æternam recipit: vel agellum pro Chri= sto mittens, necesse est, vt quater centuplū, imo millies recipiat C. tua, non tantum agrum, sed etiam florentissi= mas prouincias propter nomen Christi relinquens, vt ibidem dicitur: Amen dico vobis q̄ vos qui secuti estis mein regeneratione, cum sederit filius hominis, in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim iu= dicantes duodecim tribus Israel &c. En ergo Princeps

Christianissime, in hac cauffa regni amissionem, quam falso Antichristus minatur, non timendam esse, sed me= lioris regni expectationē & duplicationē, vt vere Chri= stus, qui potens est depositum nostrum seruare in diem illum promittit expectandam.

## OCTAVVM CAPVT.

Quid proderit homini, si vniuersum mūdum lucretur, animæ aut suæ abnegato Chri= sto detrimentum faciat:

**T**erum singamus, vere enim figmentum est, & aureum Luciani somnium, fieri posse, vt prodi= to & deserto Christo, nostra retineamus, imo & augeamus. Sic enim Satan tentator (cui vt vbiq; mē= dacis scilicet & homicidio, ita etiam hac parte Antichri= stiani similimi sunt: partim minaces, partim etiam blan= di, & plusq; aureos montes, vt ab Euangelio auertant pios, pollicentes) Christo Matthæi quarto promittit, hæc, inquiens, omnia, regna videlicet mundi & gloriam eorum tibi dabo, si cadens adoraueris me. Quid vero proderit homini, si vniuersum mundum lucretur, Mat= thæi decimo sexto, animæ autem suæ detrimentum faci= at: Et hic meminisse oportet diuitum, Lucæ duodeci= mo & decimo sexto. De priore ita Christus: Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit, & cogita= bat intra se, dicens: Quid faciam, q̄ non habeam quo cō= gregem fructus meos: & dixit: hoc faciam, Destruam horrea mea, & maiora extruam, & illuc congregabo o= mnia, quæ nata sunt mihi bona mea, & dicam animæ

C iij



meæ, Anima, habes multa bona reposita in multis an-  
nos, requiesce, comedere, bibe, gaude. Dixit autem illi de-  
us; Stulte, hac nocte animam tuam repetent abs te. Que  
vero parasti, cuius erunt. Sic est qui thesaurizat sibi, &  
non est in deum diues. Si tam horrende pereunt, qui nō  
sunt in deum diuites, quis obsecro, quamq; horrendus  
finis erit eorum, qui contra deum, & prodito Euangeliō  
ditescere, suac; retinere volunt? Quin Satanæ & Anti-  
christo ita tentanti, Christi exemplo, ad nostram institu-  
tionem scripto, cum fiducia dicamus: Vade Satana, scri-  
Matth. 4  
ptum est enim, Dominum deum tuum adorabis, & illi  
Acto. 8  
soli seruies, Et cum petro, Pecunia tua tecum sit in per-  
ditionem &c.

## CAPVT NONVM.

Impio consilio, qualis est apostasia, amittitur  
magis, quam retinetur regnum &c.

VEL

Quicquid iniquo & malo consilio retinere vo-  
lumus, eodem fere amittimus.

**S**i nihil retinere potest, estq; omnino constitutū,  
vt liberos, vxorem, regna, subditos &c. retine-  
as, Christum amittere & abnegare, vel vnū hoc  
nouissime & diligentissime expendendum est, quid sit,  
quod Christus fidelis & nunquam fallens, dixit, Lucæ  
nono: Qui voluerit animam suam saluam facere, perdet  
illam, Et qui perdiderit animam suam propter me, saluā  
faciet illam. Monet his verbis Christus, ita fere compa-  
ratum esse iusto dei iudicio, vt quicquid impio consilio,

quale est idololatria & apostasia conseruare, & augere  
volumus, non tam retineamus, quam perdamus, quod  
& Hiob, Huius temptationis igne septuplum sicut aurū  
in fornace examinatus, probatus, & emunctus, pulchra  
parœmia confirmat capite sexto. Qui timet pruinam,  
cadet super illos nix, Et proverbum celebre, Quod ho-  
norū detrahitur, vicio datur. Sunt huius generis cum in  
gentium, tum sacris literis multa exempla de Aegypti,  
Assyriæ, Chaldæorum, Persarum, Israel, & Iudæ regis-  
bus, qualis est Pharao, Exodi primo &c. Aman, Hester  
v. vi. & viij. Satrapæ Darij contra Danicem, eiusdem  
capite sexto. His omnibus comprobatur, quam verax  
sit Christus, quamq; fallax & infœlix sit impium consi-  
lum. Omnium autem grauissima exempla sunt, Hiero-  
boam, secundi Regum duodecimo, & Principes Iudæo-  
rum, Ioannis vndecimo, Ille veritus, ne populus Israël,  
si ascenderet in domum domini, in Hierusalem, sacra fa-  
cturus, occasione templi ad Roboā regem luda, a quo  
pauloante recesserat, se deserto & interfecto, reuertere-  
tur, excogitato consilio, quo regnum stabiliret, fecit du-  
os vitulos aureos, posuitq; alterum in Bethel, alterum  
in Dan, dicens. Nolite ultra in Hierusalem ascendere, ec-  
cede dñi tui Israël, qui te eduxerunt de Aegypto. Porro a-  
deo non protecit quicquam, necq; quod instituerat, effe-  
cit, parū pio consilio hoc, vt eodem regnum nunq; alio  
qui auferendum, potissimū & maxime amiserit, & euer-  
sa sit, & deleta de superficie terræ, tertij Regum decimo-  
quarto, tota domus eius. Sic enim Ahias propheta ad  
vxorem Hieroboam, defilij valetudine & salute quæsi-



turam, Ego missus sum ad te durus nūcius, Vade & dic Hieroboam, Hæc dicit dominus deus Israel, Quia exaltavi te de medio populi, & dedi te ducem super populum meum Israel, & scidi regnum domus Dauid, & dedi illud tibi, & non fuisti sicut seruus meus Dauid, qui custodiuit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo faciens quod placitum esset in conspectu meo, sed operatus es male super omnes, qui fuerunt ante te, & fecisti tibi deos alienos & conflatiles, vt me ad iracundiam prouocares, me autem proiecisti post tergum tuum, Idcirco ecce ego inducam mala super domum Hieroboam, & percutiam de Hieroboam mingētem ad patrem, & clausum & nouissimum in Israel, & mundabo reliquias domus Hieroboam, sicut mundari solet simus usq; ad purum. Qui mortui fuerint de Hieroboam in ciuitate, comedent eos canes, qui autem mortui fuerint in agro, vorabūt eos aues coeli, quia dominus locutus est.

Perinde infœliciter cessit Iudeis, suum de interficio  
do Christo, vt gentem & locum retinerent, consilium,  
Iohann. ii. quod Ioannis vndecimo ita describitur, Collegerūt pōtifices & pharisei concilium, & dicebant, Quid facimus quia hic homo multa signa facit, si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Rhomani, & tollent nostrū locum & gentem. Vnus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset pontifex anni illius, dixit eis. Vos ne scitis quicquam, nec cogitatis, quin expedit vobis, vt unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.

Hac crudeli & homicida prudentia tantum abest, vt  
gentē

gentem & locum retinuerint, vt vtruncq;, tum maxime & pessime perdidarent, sicut Christus futurum prædixit Lucæ vnde uigesimo. Et factum describunt Iosephus & Aegesippus de bello Iudaico & excidio Hierosolymorum. Quem aliena hæc pericula ( quanq; nihil alienum quod humanum est, & cuiq; accidere potest, quod cuiusquam) non faciunt cautum, id est, in fide & officio Christi non retinent, iure infoelicissimus est, & dignus, qui si militer peiusque pereat, iuxta verbum Christi notum Lucæ capite nono: Qui voluerit animam suam saluam facere, perdet illam, non tantum in hoc seculo, sed etiam in futuro. Sicut ibidē dicitur: Qui me erubuerit & ME OS SERMONES, hunc erubescet filius hominis, cum venerit in maiestate sua, & patris & sanctorum angelorum.

## CAPVT DECIMVM.

Crux & persecutio sigillū est, & arrhabo nos  
a deo diligi.

 St huius temptationis etiam hic fructus, qui vel solus satis est ad consolandum aduersus persecutōnem & maledictā mundi. Tum demum certi sumus nos a deo diligi, & Christi esse, cum ad exemplū & propter nomen Christi, non tantum patria, parentibus, liberis, regno, cognatis, affinibus, amicis, & agris, sed etiam forma dei exinanimur, quod fit, dum pro nomine dei θeo, impij, contemptores diuum, scismatici, hæretici, blasphemati, dæmonium habentes: & quid non ab impijs dicimur, ac damnamur. Hæc est societas &

D



**Psalmo. 36** *imago filij dei, cuius conformes oportet nos fieri, id est, compati & humiliari, si conglorificari volumus. Eligamus itaq; omni metu posito, cum Christo in domo dei exinaniri, abiecti, ~~τεργίθια~~, & purgamenta huius mundi esse, quam cum honore in tabernaculis peccatorum mollibus vestiri, & sicut cedrus Libani, cū impijs elevari, vt hic pro Christo humiliati, illuc cum Christo exaltari mereamur & conregnare. Quod faxit, qui potens est depositum nostrum, & coronam gloriæ, vscq; in diem illum custodire Christus ipse, Amen.*

## CAPVT VNDECIMVM ET VLTIMVM.

*Oratio in tentatione hac, validissimum præsidium.*

**Luk. ii.** *C*onlissimum autem omnium erit in tanta siue minarum siue apertæ persecutionis tentatione, ad orationem assiduam, vel ut ad extremam an coram conuerti & confugere. Hæc enim, vt vere Iacobus ait: multum vbiq; valet, & aut a malis redemptio nem, aut in medijs malis pacem, patientiam, consolacionem, fidem & constantiam efficacissime impetrat; non sua dignitate, sed fiducia promissionum & fidelitatis dei qui promisit Lucæ vndecimo: Petite, & dabitur vobis, quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & qui quærerit inuenit, & pulsanti aperietur &c. Hæc oratio scilicet, fides & verbum dei sunt arma nostra, non tam contra carnem & sanguinem, quam rectores harum tenebrarum spiritus vertigi

nis, qui hostes in nos nostros, horrende agunt, vexant & rotant ad suam voluntatem captiuos **ij.** Timoth. **ij.** Sic Christus ad passionem processurus orat in horto, calicem deprecans his verbis, Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste, veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Sic idem ibidem suos, ne in temptationem intrent, id est, imminente persecutione vincantur & absorbeantur, orare iubet. Sic Asa & Iosaphat pñ reges, supra a suis hostibus obfessi & angustiati, ad orationem pri mum, dein ad arma se ac suos præparant & armant. Sunt autem Christi in monte, & Iosaphat orationes, taceo quam vocant dominicam, pulcherrimæ & aptissimæ orandi in hac temptatione formæ. Vnde non inutile fuerit eas in Enchiridia & libellos orationum, quibus vulgo vtuntur pñ, referre & conscribere, vt nunquam non ad manum sint & vsui,

Hæc est PRINCEPS OPTIME <sup>προστέλλοντος</sup> & exhortatio, Tuæ Cels. hoc temptationum tempore iam dudum parata, Spiramq; vt in præfatione testatus summittenda. Quia vero non erat in tempore commodus & fidelis eo nuncius, & opinione citius illinc discessum est, solutaq; comitia, abieci eam inter ociosas & perituras chartas, donec tuæ Cels. Acommentarijs, vir, vt magna prudentia, ita Christianissimus, & post tuam Cels. prophetarum & ministrorum VERBI, vere Abdias, Georgius Vogler, moneret, adeoq; pro suo in me iure imperaret, vt tuæ Celsitudini eandem hanc meam opes

D **ij**



ram, cuius inter colloquendum forte meminerā, adhuc redderem, idem enim periculum etiamnum superesse, & minas Antichristi easdem in horas multiplicari. Ego itaque Homini, cui longe plura debeo, obsequens. Nunc demum eandem mitto, eodem, quo dixi consilio, nempe, non docendi gratia, sed testandi amoris in Cels. tuā mei, vt inquam non doctrina sit, qua tuæ Cels. a deo doctæ, nihil opus est, sed testimonium & ὁραγίς obedientiae & reuerentiae, quam ordinationi dei, & dijs populi, id est, tuæ Cels. debeo. Non est autem cur anxie vel offensam audacis inscitiae meæ deprecer, vel vt hanc operam prompte & benigne Cels. tua suscipiat, precer. Ea est enim tua clementia & benignitas, non tantum huic prouinciæ, sed etiā vniuersæ Germaniæ, adeoq; & Hungariæ nota & laudata, vt exemplo Artaxerxis Persarū regis, imo regis regum CHRISTI, Matthæi decimo, vel aquæ haustum candide & amanter oblatum, prompte, iucunde & candidissime accipias, non doni precium sed dantis animum, τῷ μὲν ὀρῷ μέτισον, spectans & metitus. Huius tuæ clementiæ, multis exemplis notæ, fiducia fretus, nostra hæc (quæ vel pietatis, quam docent nomine tuæ pietati non possunt non placere, etiamsi nihil præterea in ipsis sit, qd' placeat) minus superstitione & quasi assem Elephanto porrigens commendo. Commenda bo autem Celsitudinem tuam publicis & priuatis precibus CHRISTO IESV, vt in eodem nobis diu valeat, & in amplianda Christi gloria, ac tuendis verbi ius prouinciæ ministris, constanter perget. Non deerit cuius res & caussa potissimum agitur, Christus idem Sa-

tanam & regnum eius sub pedibus nostris, ut iam dum cœpit, & fere perfecit, licet sensui carnis & imp̄js longe aliud appareat, plenissime & extreme, contritus, Venit enim & tantum non impleta est plenitudo temporis illius, de quo spiritus per paulum manifeste dixit: Quem (Antichristum scilicet) interficiet dominus Iesus spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui &c.

**CHRISTO**  
fit victoria & regnū  
in secula seculorum, Amen.

Eiusdem Cels. T.

Obseruantissimus

Idein Martinus  
Meglin Kitzingia &c.

F I N I S.

In aliquibus exemplaribus folio iiiij. li. iiij. lege, vt est zelotes. Li. xij. lege, reniteretur.

D ij



Typis excudebat Norimbergæ Frideri  
cus Peypus, Anno domini  
M. D. XXIX.



UNIVERSIDAD  
DE SALAMANCA

GREDOS.USALES